

tetur, aut imminuatur: » prout patet ex Brevis apostolico dicti pontificis, quod præfixum habetur *Decreto Gratiani* jam emendato.

58. *Universim sunt sex partes corporis juris canonici: quæ?* — Quæritur II. Quot, et quænam sint partes corporis juris canonici? Resp. I. Totum corpus juris canonici plures, et universim sex continet partes; quæ sunt: I. *Decretum Gratiani*, de quo proxime dictum; II. *Decretales Gregorii papæ IX*, in quinque libros distributas, et sic dictas, quia Gregorius papa IX varias constitutiones, seu decretales epistolas suorum prædecessorum, per S. Raymondum de Pennafort, ordinis fratrum prædicatorum (cujus festum nunc ab Ecclesia celebratur die 23 januarii) in unum volumen colligendas curavit: quibus idem pontifex multas Constitutiones suas, et decretales epistolas adiecit; III. Liber *Sextus Decretalium*, sic dictus, quod ipse auctoritate Bonifacii papæ VIII compilatus, aliis quinque Decretalium Gregorii IX libris fuerit annexus; ac respectu eorum sexti Decretalium libri locum occupet, quamvis et ipse in quinque libros sit divisus; IV. *Clementine* (intellige, *Constitutiones*) sic dictæ quod a Clemente V fuerint editæ; V. *Extravagantes Joannis XXII*, sic appellatæ quia *extravagantur*, seu vagantur extra sex libros Decretalium: ob quam rationem etiam *Clementine* nonnunquam vocantur *Extravagantes*. Additur vero *Joannis XXII*, eo quod sint editæ a Joanne papa XXII, simulque ad differentiam aliarum *Extravagantium*; VI. et ultimo *Extravagantes communes*, sic dictæ quod a diversis Romanis pontificibus post *Sextum* emanaverint.

59. *Quomodo dividatur quidque contineat decretum Gratiani?* — Resp. II. Quælibet harum partium corporis juris canonici rursus in alias subdividitur. Et quidem *Decretum Gratiani* in tres principales dividitur partes: et harum prima continet centum et unam distinctiones, quarum ferme quælibet in plures subdividitur canones, sive (ut nonnulli loquuntur) capitula: et in istis agitur imprimis de jure, ac ejus speciebus, harumque differentiis ad invicem; tum de officiis ecclesiasticis, episcopis, aliisque ministris Ecclesiæ, eorumque ordinationibus, electionibus, atque obligationibus. Altera *Decreti* pars continet triginta sex causas, in quibus tractatur de negotiis clericorum, et laicorum: et earum ferme quælibet plures continet quæstiones, et quælibet quæstio plures canones: atque insuper causæ trigesimæ tertiæ, ejusque quæstioni

tertiæ inseritur *Tractatus de penitentia*, qui continet in se septem distinctiones, quæ postmodum dividuntur in canones. Tertia tandem *Decreti* pars agit de sacramentis novæ Legis, Missæque sacrificio; et hinc merito intitulatur *De Consecratione*; dividiturque in quinque distinctiones, et hæc rursus in canones. Porro ad finem *Decreti Gratiani* adjunguntur *Canones penitentiales*, necnon *Canones apostolorum*.

60. *Et quomodo aliæ juris canonici partes subdividantur?* — Deinde *Decretales Gregorii IX* continent quinque libros (qui etiam absolute vocari consueverunt quinque libri *Decretalium*). Libri vero dividuntur in titulos, et tituli in capitula. Sextus liber *Decretalium* etiam dividitur in quinque libros partiales, qui subdividuntur in titulos, juxta ordinem in quinque decretalium libris observatum (omissis tamen illis titulis, circa quos specialis controversia de novo non emererat) ac tituli in capitula. Idem fit in *Clementinis*, quæ pariter quinque libros, et eosdem cum prioribus per ordinem continent titulos (licet non omnes) postmodum subdivisos in capitula. *Extravagantes Joannis XXII*, continent viginti constitutiones dicti pontificis, in quatuordecim titulos distributas. Tandem *Extravagantes communes* dividuntur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula, quorum singula novam, et distinctam continent constitutionem, sive *Extravagantem*.

61. *Quid dicendum de libro septimo Decretalium Petri Matthæi, jurisconsulti.* — Novissime etiam in lucem prodit, et in quibusdam recentioribus exemplaribus juris canonici ad finem appositus habetur, liber septimus *Decretalium*, opera Petri Matthæi jurisconsulti Lugdunensis, varias constitutiones pontificias in unum colligentis, et juxta ordinem titulorum, in quinque decretalium libris contentorum, distribuentis compilatus, prout liquet ex Præfatione ad lectorem, dicto libro præfixa. Cæterum opus istud, haud obstante quod meras constitutiones apostolicas contineat, nondum debita superiorum auctoritate receptum, aut in Corpus Juris canonici relatam, sed privata solum opera compositum, et per typographos aliis juris canonici libris appositus fuit; ac proinde non censetur undequaque authenticum. Siquidem *Extravagantes Bullæ*, quas non constat debito modo publicatas, aut in usum deductas fuisse, et an cum suis originalibus in omnibus, et per omnia correspondere (unica enim littera immutata,

vel particula omissa, maximæ considerationis esse potest) in rigore non obligant, nisi producantur in forma authentica cum plumbo, et debita subscriptione, per ea quæ notantur in Prooemio *Clementinarum* circa finem. Ludov. Engel. in Prooemio *Collegii juris canonici*, n. 11, post Franciscum de Pavinis in præludio ad *Extravag. Joannis XXII*, §. *Debet autem*.

62. *Relatio de quodam alio libro septimo Decretalium, hujusque suppressio.* — De alio septimo *Decretalium* libro memorato dignam relationem facit Prosper Fagnanus in c. *Cum venissent*, n. 61 et 62 de *Judiciis*. Illius equidem compilatio, sub Gregorio XIII, atque de ejusdem commissione, per plures S. R. E. cardinales inchoata, et sub Sixto V continuata, tandem sub Clemente VIII absoluta fuit, pontificiis juribus, atque conciliorum decretis trecentorum prope annorum, in quinque libros dispositis, atque compendiarie quadam summa in proprios titulos distributis. Verum opus istud, miris elucubratur laboribus atque vigiliis, et præsulum, gymnasiorum, ac totius Ecclesiæ vocibus efflagitatum, imo et typis jam excusum sub nomine Septimi libri *Decretalium* Clementis VIII, postea subsistere cepit, et hæcenus publicatum non fuit. Nam, cum decreta ferme omnia concilii Tridentini in eodem suis locis haberentur inserta; si hæc per authenticam publicationem memorati voluminis in ipsum corpus juris canonici redacta fuissent, pariter jurisperitis concessum videri poterat applicare in illud glossas, et commentarios; prout in aliis præcedentibus compilationibus per plures glossatores, atque interpretes, factum erat. Istud autem e diametro adversabatur bullæ Pii IV, super confirmatione œcumenici concilii Tridentini 1563, vii Kal. februarii editæ, (quæ incipit: *Benedictus Deus*) generaliter prohibentis, ne quis sine auctoritate apostolica ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere audeat. Unde ob rationes proxime dictas de septimo *Decretalium* impostero mentio non fiet.

## § V.

## DE AUCTORITATE DECRETI GRATIANI, EJUSQUE PALEIS.

63. *Decretum Gratiani an sit authenticum? Et rationes pro parte affirmativa.* — Quæri-

tur I. An, et qualem auctoritatem, vimque obligandi, habeat *Decretum Gratiani*? Ratio dubitandi, et decretum istud pro authentico habendi, est multiplex. Siquidem imprimis volumen istud, haud obstante quod a Gratiano, privato doctore, fuerit collectum in unum, communiter, atque a plurimis jam annis, legitur in scholis, et quotidie allegatur, ac recipitur in judiciis; ergo videtur hoc ipso tacite approbatum, et confirmatum: idque eo magis, quia consuetudo ipsa dat jurisdictionem, et vim obtinet legis. Accedit, quod ipsimet summi pontifices decretum istud in suis posterioribus constitutionibus pro se allegant; ut patet ex c. *Cum Apostolica*, *De hiis quæ fiunt a prælatis*, etc., ubi auctoritas tum S. Hieronymi, tum Leonis papæ, iterato allegatur ex *Decreto Gratiani*, prout Glossa ibidem §. *Hieronymi* et §. *Leonis* ostendit. Item contingit c. *Continebatur, de Desponsat. impuberum*, ibi. « Cum in Decretis habeatur expressum. » Et c. *Nobis* juncta glossa fin. *de Jure patronat.* Et *Clem. un. de Jurejurando*, ubi circa medium hæc verba habentur: « Secundum formam in Decretis, quæ incipit: *Tibi Domino* » (et habentur can. *Tibi Domino*, dist. 63.) ac alibi. Atqui non est verisimile, summos pontifices allegaturos fuisse *Decretum Gratiani*, nisi illud agnovissent canonicum, et pro authentico reputassent: alioquin enim probationes ipsorum extitissent minus sufficientes. Huc facit communis modus loquendi glossæ, et doctorum asserentium, quod Leges civiles in *Decreto Gratiani* relatæ per hoc sint canonizatæ, ut loquitur glossa marginalis in Auth. *Quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesiis*; et l. I, c. *de Episcopis et clericis*, ac alibi sæpe. Insuper doctores juris canonici passim vocantur *Doctores decretorum*; ac proinde oportet etiam Decretum esse authenticum: nam nomina debent esse convenientia rebus suis, §. *Est et aliud, Inst. de donationib.*

64. *Aliæ hujus rationes, et auctoritates quamplures.* — Confirmatur eadem opinio vel maxime ex accuratissima emendatione *Decreti Gratiani*, quondam mendis, et testimoniorum depravationibus plenissimi, quæ facta fuit auctoritate summorum pontificum, atque solemnibus litteris confirmata per Gregorium XIII, prout liquet ex ejusdem confirmatione *Decreto Gratiani* præfixa: nam frustra summi pontifices, inter alia gravissima reipublicæ christianæ negotia, viderentur manum apposuisse pro emendatione tam

accurata Decreti, nisi hoc pro authentico habuissent. Quinimo idem Gregorius XIII, in privilegio, solis impressoribus Romanis dato ad decennium, imprimendi *Decretum Gratiani*, cum *Decretalibus Gregorii* papæ IX, Sexto, Clementinis, et Extravagantibus, ac die I Junii 1580 emanato, illud ipsum *Gratiani Decretum* una cum aliis enumeratis libris insimul appellat jus canonicum, dicendo. «Nos opportune providere volentes, ut hoc jus canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christifideles sartum tectum perveniat:» et consequenter illud pariter unum cæteris præfatis libris censuit esse canonicum, atque authenticum. Eadem sententia probatur ulterius auctoritate extrinseca doctorum: sic quippe *Decretum Gratiani* esse approbatum, et authenticum, atque vim legis habere censet Abbas Panormitanus in cap. *Ex parte 2*, n. 12, de *Rescript.* ubi excipiens solummodo dicta *Gratiani*, et leges civiles ab ipso insertas, quoad alia probat decretum esse approbatum, eo quod communiter, et a multis retro annis, fuerit publice lectum in scholis, et ipsius dicta communiter recepta, sicque hodie tacite approbata, et recipienda. Idem resolvit Felinus in d. c. *Ex parte*, n. 52; Archidiaconus, can. *Quis nesciat*, n. 2, dist. 9, dicens, «quod opus istud ab Ecclesia est receptum, et approbatum quoad auctoritates, quas Gratianus inducit, non autem quoad solutiones Gratiani;» Molfesius in *Summa*, tom. I, tract. 9, cap. 5, n. 73, mordicus (ut loquitur Diana part. V, tract. XIV, resol. 68) affirmativam sententiam tenens, et inter alia referens, quod «Geladius papa approbaverit tale decretum; atque Eugenius III, approbaverit omnia contenta in Decreto,» August. Barbosa in proœmio *Decreti Gratiani* n. 7, docens cum nonnullis aliis, quos citat, «Testimonia sanctorum Patrum in Decreti volumine contenta, ex longa consuetudine Ecclesiæ statuti canonici robur obtinere, dummodo in contrarium aliqua pontificia constitutio non appareat;» quamvis postea secus esse censeat de dicti *Gratiani Paleis*, et legibus civilibus decreto insertis. Hoc idem docet Maranta in *Speculo aureo*, part. III, n. 34, ubi inquit: «Quia liber decretorum est communiter approbatus a populo, et publice legitur in scholis, sicut alii libri authentici, ex hoc censetur authenticus, et facit plenam fidem.» Cardinalis Tuschus litt. D. concl. 110, n. 2 et 41, ubi ait: «Hodie temporibus nostris fuit

approbatum decretum, et contenta in eo sunt leges canonicæ effectæ: ut in bulla fel. record. Gregorii XIII videtur;» Marthæ de *Jurisdic.* part. I, cap. XXX, n. 37, et nonnulli alii. His tamen non obstantibus.

65. *Vera resolutio.* — Resp. I. Necdum sufficienter constat quod *Decreto Gratiani* universim fuerit attributa auctoritas legis canonicæ totum mundum obligantis: nihilominus, propter absolutam et perfectam emendationem, hujusque emendationis approbationem a Gregorio XIII factam, meretur omnimodam fidem, quod canones in ipso relati, aliæque auctoritates, cum suis originalibus sine errore aut falsitate respondeant. Ita Scotus 3, dist. 6, q. 8. §. *Sed non videtur*, ubi loquens pro statu sui temporis, inquit: «Neque etiam auctoritas hujus cap. *Qui bis, de consec.* dist. 4, videtur satis certa; nullus enim potest infligere irregularitatem toti Ecclesiæ, nisi caput Ecclesiæ. Illud autem capitulum, sicut intitulatur, accipitur ex Pœnitentia Theodori, qui fuit Episcopus Centuriæ; ergo in quantum est hujus auctoris, nullum robur habet infligendi pœnam irregularitatis: ergo oportet dicere quod quodcumque capitulum incorporatum in corpore decretorum a Gratiano, confirmatum sit a papa, vel multa capitula ibi posita non ligent totam Ecclesiam. Unde autem possit doceri, quod omnia illa capitula ibi compilata papa confirmat, non est manifestum, nec etiam eo modo, quo est manifestum de omnibus capitulis positus in *Decretalibus.*» Hæc Scotus. Eandem sententiam olim tenuit Jo. Andreas in cap. I, de *Rescript.*; Anchoranus in cap. *Canonum statuta*, n. 48, de *Constit.*; Butrius in Proœmio *Decretalium*. §. *sane*, n. 10 et 17.; Federicus de Senis, consil. 76. dicens, quod «compilatio Decreti dicitur approbata per Romanam Ecclesiam, sed non omnia, quæ sunt in illa compilatione;» Imola, aliique plures. Ac loquendo de moderno tempore, tradunt ipsam Suarez, lib. IV, de *Legibus*, cap. V, n. 6; Sanchez, lib. IX, de *Matrim.*, disput. 12, n. 5; Salas, tract. XIV, de *Legibus*, disput. 8, sect. 13; Cajetanus, Valentia, Major, quos citat, et sequitur Diana part. V, tract. 14, resol. 68; Gonzalez Tellez in proœmio, n. 51, pro hac sententia ulterius allegans Martinez a Prado, Mendam, Alciatum, Granados, Antonium a Matre Dei, et alios. Ufelius in notis ad Covarruviam lib. IV, *variæ. Resolut.*, cap. XI. Layman lib. I. *Theolog. mor.* cap. VI, §. 3.

Zoesius in præfatione ad *jus Canonicum* n. 9, id inter alia desumens ex iis quæ habentur dist. 20, a principio. Engel in *Procem. Collegii juris canon.* n. 5; Pirhing in *Procem.* n. 22, et communior aliorum.

66. *Et ejus probatio.* — Ratio fundamentalis hujus sententiæ est illa, quam attulit Doctor subtilis, loc. cit. Quia necdum sufficienter, aut manifeste constat *Decretum Gratiani* quoad omnia capitula in ipso contenta esse confirmatum per Papam; a solo autem Gratiano, utpote persona privata, non potuit habere vim, et auctoritatem legis ecclesiasticæ, obligantis totum mundum: atqui in dubio, et nisi manifeste probetur, non est asserenda tam gravis obligatio, et quidem respectu totius mundi, arg. l. *Arrianus ff. de Action. et obligat.* ibi. «Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem, ad negandum: ubi de liberando quæritur, ex diverso, ut faciliores simus ad liberationem.» Ergo. Major probatur tum ex solutione rationum in oppositum allatarum; tum ex eo, quia *Decretum Gratiani* non habet in fronte talem approbationem apostolicam, qualem habent *Decretales* Gregorii IX, ac Sextus *Decretalium* Bonifacii VIII, ipsæque *Clementinæ*: neque ipsum continet solas constitutiones pontificias, prout accidit in *Extravagantibus* Joannis XXII, et Extravagantibus communibus; ergo. Et quidem, quantum attinet solutionem rationum oppositæ sententiæ:

67. *Solvuntur rationes pro parte affirmativa allate.* — Non urgent rationes superius n. 63 in contrarium adductæ. Nam primo, quod attinet ad usum immemorabilem legendi in scholis, atque citandi in judiciis *Decretum Gratiani*, per hoc nihil convincitur: cum textus ex eo citati revocentur ad suam primævam auctoritatem, et nonnulli quidem habeant vim legis, atque decisivam in judiciis; alii vero sint solum doctrinales seu magisteriales, prout uberius concl. seq. declarabitur. Perro summi Pontifices, dum quandoque in suis decretalibus allegaverunt decreta suorum antecessorum, ea non desumpserunt primum ex volumine, sive *Decreto Gratiani*, sed jam prius, et aliunde habuerunt in forma authentica; et idcirco probationes ipsorum erant fortissimæ, atque convincentes.

68. *Leges civiles in Decretum Gratiani relata, an per hoc censeantur canonizate.* — Deinde communis ille modus loquendi Glos-

sæ, et doctorum, asserentium leges civiles in *Decretum Gratiani* relatas, per hoc censi canonizatas, large dumtaxat accipiendus est: ita ut solum indicare velit æquitatem seu convenientiam illarum legum talem existere, ut compilatori Decreti viderentur esse dignæ, quod pro meliori notitia eorum, qui in studio sanctorum canonum versantur, in illud referrentur. Alioquin, si plus intendatur, negari oportebit leges civiles propter collectionem in *Decretum Gratiani* esse canonizatas. Fagnanus in c. *Canonum statuta*, n. 38 et 39, de *Constit.* et Gonzalez Tellez, loc. cit. n. 50. Neque enim, ut inquit Federicus de Senis cit. consil. 76, canonizatio legis facta per Gratianum est tantæ auctoritatis, quod faciat legem haberi pro canone.

69. *Doctores juris canonici dicuntur doctores decretorum.* — Nec urget id, quod subjungitur, videlicet, doctores juris canonici appellari *Doctores decretorum*. Nam per *ly Decretorum*, denotantur diversæ constitutiones, sive decreta summorum Pontificum, quorum illi censentur doctores: non autem *Decretum Gratiani* (alias illi potius *Doctores Decreti*, quam *Decretorum* nuncupandi forent, quod absit dicere) quamvis volumini Gratiani multa decreta summorum Pontificum inserta esse, eaque præsertim post emendationem Gregorii XIII correspondere cum suis authorographis, neutiquam negetur.

70. *Gregorius XIII confirmavit emendationem Decreti Gratiani, non vero omnia in ipso contenta.* — Neque ulterius dictis obstant rationes in confirmatione n. 64 allegatæ. Non quidem prior desumpta ex eo quod *Decretum Gratiani* ex commissione summorum Pontificum sit quam diligentissime emendatum, ipsaque emendatio, per Breve apostolicum decreto præfixum, a Gregorio XIII confirmata. Resp. enim fuisse quidem per dictum Breve approbatam, et confirmatam ipsam decreti emendationem, addito mandato apostolico, «ut quæ emendata, et reposita sint, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur,» prout loquitur citatum Breve: non tamen hinc sequi, quod per dictum Breve fuerint approbata, et apostolica auctoritate confirmata, omnia et singula contenta in eodem *Gratiani Decreto*, utpote cum de hoc neque minima mentio fiat. Quinimo, ne forsitan ex illis verbis, «omnia quam diligentissime retineantur,» ejusmodi approbatio deduci, atque inferri possit; notanter